



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Historiæ Societatis Iesv Pars ...**

Clavdivs. Res extra Europam gestas, & alia quædam / suppleuit Petrus  
Possinus Ex Eadem Societate ; Francisco Sacchino

**Orlandini, Nicola**

**Romæ, MDCLXI**

Protestatio Avtoris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98261](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98261)

# PROTESTATIO A V T O R I S .

**L**ector aduerte in Elogijs Virorum Illustrium, quos his Historijs complexus sum, nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstringo nonnunquam aliqua ab ijs gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt, præfagia futurorum, arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione collata diuinitus: demum nonnullis sanctimoniam, vel martyrij videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia, ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata, atque approbata; sed tanquam quæ à sola suorum auctorum fide pondus obtineant, atque aded non aliter quàm humanam historiam. Proinde Apostolicum Sac. Congregationis S. R. & vniuersalis Inquisitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè iuxta declarationem eiusdem Decreti à Sanctiss. D. N. D. Urbano Papa VIII. anno 1631. factam, seruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis, aut martyrij inducere, seù augere, nec quicquam eius existimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius beatificationem, vel canonizationem, aut miraculi comprobationem; sed omnia in eo statu à me relinqui, quem, seclusa hac mea lucubratione, obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc tam sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua scriptione, & actione dirigi. Petrus Possinus.

